

minatam ex qua clarè poterit constare, quòd nullum ipsi possessori in dicto Beneficio jus competat, causã hujusmodi impetrationis exprimere, & infra sex menses ipsam possessorem ad judiciũ evocari facere, causamq; ex tunc de super infra annum usq; ad sententiam diffinitivã inclusivè prosequi debeat & teneatur. Alioquin impetratio prædicta & quæcumq; inde sequuta nullius existant firmitatis, & item impetrans de damnis, & interese possessorem præfatum, propterea contingentibus ei satisfacere, & si possessorem ipsum injustè, frivole & indebitè molestare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere Cameræ Apostolicæ sit adstrictus. Nec alius, quàm præmissæ vacationis modus etiam per litteras Si neutri, aut subrogationis, aut aliã sibi quoad hoc, ut Beneficium hujusmodi ea vice consequi, aut obtinere valeat, quomodolibet suffragaretur, illudq; nullatenus in antea litigiosum propterea censetur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes Beneficia Ecclesiastica cujuscumq; qualitatis per privationem & amonitionem, vel aliã propter commissa excessus & criminosa vacantia vel vacatura, & similiter ad impetrantes Beneficia tamquam vacantia per devolutionem.

III. De hac Regula loquens Rebuffus ait: "Ista Regula est utilis, & servatur in Francia; unde impetratio judicatur subreptitia & nulla, nisi exprimantur sequentia: id est quæ decernit Regula debere exprimi. In praxi Benef. Parte I. Glossa prima ad hanc Regulam.

IV. Regula hujus utilitatem, & receptionem in Regno Gallie non ipse Rebuffus diffinit, aitq; in 83. ad Regulam De Versimili Notitia edit. 1552. "Non enim verum est quod vulgo putant, reliquas omnes regulas (distis quatuor exceptis; scilicet, de Infirmis resignantibus, de Versimili Notitia, de Publicandis Resignationibus, & Regula Cancellariæ De Idemate prout inutilis & spernendas esse. Quatenus enim jus commune vel ordinarium juvat, rationabiliter admittendæ sunt & in causis decidendis usurpandæ, quod minus à jure communi & disciplina Ecclesiastica concedatur: præsertim regula illa de Annali Possessore. Est enim lata contra involutores alios alienorum Beneficiorum, litiumq; artifices, quos Devolutarios vulgo vocant. Ideo in omni foro, etiam in hoc Regno omnino practicanda est.

Quod asserit Molinæus, hanc regulam conditam esse contra involutores alienorum Beneficiorum ac rursus in 88. regulam hanc dumtaxat respicere odium impetrantium, ipsa initialia verba regulæ satis probant: Ut improbitates exquirentium motus reprimatur.

V. Hinc ulterius cum Rebuffo Glossa VIII. infertur, hanc regulam procedere, etiam si Papa motu proprio conferat idq; etiam constet deesse supplicationem & favorem impetrantis, & sic esse verum motum (propriam) Quia cum hæc regula lata sit publicæ utilitatis causa, & ad fraudes & lites repellendas, non censetur Papa velle derogare etiam elausulâ motus proprii appositione, quæ nihil operatur contra mentem veisimilem concedentis.

VI. Quin & hinc conficiunt, quod tamen Possessor annalis ellet ipso jure privatus per Extravagantem Execrabilis ob beneficiorum incompatibilitatem, equidem defendatur per hanc regulam contra impetrantem, si per annum possedit, sive ante, sive post illam privationem, sive computatis extremis, anni tamen continui: & ita in privato per non promotionem juxta e. LICET CANON De Elect. in 6. teneri & judicari in Rota Romana asserit Gomefius qu. 55. "Si tamen" ait Molinæus n. 88. "per annum pacificè ante impetrationem adversarii possederit, quod sufficit in odium impetrantium beneficia Possessorum viventium quia regula istud odium dumtaxat respicit nec requirit Canonicum titulum, nec bonam fidem possessoris. Et ita generaliter tenendum & judicandum est.

Idipsum asserit Rebuffus, qui & Glossa 3. ait, quod si etiam hæreticus vel simoniacus possederit per annum, eadem servanda sit regula. Idem de Possessoribus beneficiorum alio ex capite inhabilibus post Gomefium aliter Molinæus n. 92.

VII. Imò n. 90. asserit, regulam prodesse quoq; spoliatori, non quidem contra spoliatum, sed contra alium devolutarium impetrantem post annum pacificæ possessionis. "Quin & procedit in eo qui factio suo voluntario ab hoc ordinato sese privaverit beneficio, puta resignando, & tamen remansit in possessione, quia si tertius sciens resignarium, qui nunquam possessionem effectivam cepit, incapax esse, vel deinde civiliter vel naturaliter mortuum; vel repudiasse casu quo resignatio facta sit in forma secundi vel tertii gradus adhuc potest Possessor contra se eum tueri hæc regula sive ante resignationem sive post sive tam ante, quam post per annum pacificè possessioni incubuerit tempore datæ impetrationis à Papa vel Legato ut etiam Gomefius qu. 57. ex longæva interpretatione Rotæ, quam ita indistinctè tenere & judicare refert, & bene. Quia lex impetrantes beneficia viventium possessorum multum abhorret.

Refert quoq; Antonius Faber in Codice Lib. 2. tit. 6. Definit. 15. judicatum fuisse, hanc Regulam tueri Possessorem, qui nullum titulum profert, ne coloratum quidem non ita verò regulam de triennali.

VIII. Nec propterea (ait Molinæus n. 92.) incapaces solventur: cum eorum beneficia liberè impetrari possint ab Ordinariis, qui etiam secuta devolutione ad superiores, possunt eos causâ cognitâ extrudere, & quibus hæc cura iminet. Justus enim sollicitudinis cura cuiq; relinquatur, quam violatoribus illis janua aperitur.

IX. Et n. 88. postquam notaverat regulam hanc non in favorem possessorum, sed odium impetrantium Beneficia viventium editam esse, tamquam consequens inferit: "Nec proinde defenduntur iatruſi vel aliã titulo suo privati, contra quos inquirere debent Ordinarii, qui etiam liberè etiã vacantia de jure tantum conferre possunt, & ab eis sine forma hujus reg. etiam sub clausula quovis modo impetrare licet ut dixi in reg. de publicandis, n. 152. quamvis possessor nequeat deturbari, nisi causâ cognita. Cap. LICET EPISCOPUS de præb. in 6. & si hæc regula facta est odio impetrantium beneficia possessorum, & ad hoc Romanæ vel Legationem currentium; & in favorem Ordinariorum. Magis enim respicit & tuetur favorem & libertatem Ordinariorum, quam possessorum & intrusorum, etiam annalium, quos in jure communi relinquit, in quantum viâ ordinariâ & ab Ordinariis providetur.

X. Regula igitur non habet locum in Ordinario, uti notavit Gomefius qu. 9. "Quia impetratio ab Ordinario (ait) contra annalem possessorem non videtur ita damanda, aut calumniosa, sicut illa quæ obtinetur à Papa, ideo minus punienda. Ratio est, quia Ordinarius quando confert impetranti beneficium annalis possessoris, jam habet, vel habere præsumitur certam notitiam illius possessoris, cum visitare soleat singulis annis oves suas, & teneatur titulos possessorum perferutari, ut dicitur in e. ORDINARIIS de Offic. Ordin. in 6. Et tradidit Fely. in c. ad aures in XVI. conclusione de rescript. Et ideo conferendo simpliciter alteri beneficium, præsumitur annalem possessorem tanquam titulum non habentem negligere, ex quo melius cognoscit personas suæ diocesis quam Papa, ut dicit gl. in Clem. de offic. Ordin. Et propter hanc causam nulla præscriptio etiam triennalis currit contra Ordinarium, quominus possit temovere possessorem carentem titulo, ut tradunt omnes, & ibi latius Felin. in e. LICET HELI de Simonia, & est expressum in concilio Basiliensi tit. de pacif. poss. Et ideo impetrans ab Ordinario, propter istam rationem non præsumetur molestator, nec improbus litigator.

gator. Secus tamen erit dicendum in impetrante à Papa, qui præsumetur injustus impetrans & molestator, si non servat istam regulam, ex eo, quia Papa in dubio non intendit concedere gratiam contra annalem possessorem, non factâ mentione istius regulæ: quia non habet, nec præsumitur habere, sicut Ordinarii notitiam possessorum orbis terrarum, ob varias occupationes rerum, propter quas multoties non concedenda concedit.

XI. Ut regula obtineat: requiritur, ut beneficium sit possessum per annum, scilicet integrum & continuum; idque tunc immediatè præcedentem, ut ait Regula: hoc est, tempore impetrationis, quemadmodum rectè notat Rebuffus Glossa 4. & 5. "Unde si nunc possederit per sex menses [ait Rebuffus] & postea alius, de muni primus per alios sex menses, non habebit locum hæc regula, per hoc verbum, immediatè præcedentem,

XII. Non sufficit per annum immediatè præcedentem possidisse, sed requiritur possidisse pacificè, id est sine lite & controversia, ait Rebuffus Glossa 6. additq;: "Ideoque citatus etiam nulliter, dummodo processus sit introductus, non dicitur pacificè possidere, quia non sine lite & controversia possedit." Idq; sive lis fuerit in petitorio sive possessorio; dummodo non sit super juribus aut appendicibus beneficii, quæ magis redderent illud pacificum; sed super titulo beneficii; ut loquitur Molinæus n. 100.

XIII. Quapropter possessor non definit esse pacificus, licet nullos fructus percipiat; imò tamen forte ob crimen aut suspicionem criminis ipsius possessoris fructus sequestrentur, aut etiam per sententiam privetur modò, tamen nulla ei super titulo lis aut controversia moveatur, aut mota sit.

XIV. Quando ergo quis in Romana Curia impetrare vult beneficium annalis pacifici possessoris tamquam de jure vacans, debet imprimis juxta tenorem Regulæ exprimeret nomen gradum & nobilitatem possessoris. Item quot annis possederit. Verùm, hodie in quacumq; impetratione, sive per obitum, sive per resignationem, sive certo modo, sive sint provisiones perinde valere, si neutri & similes, hujus primæ parti regulæ derogari solet, quoad scilicet expressionem gradus, nobilitatis & temporis, quo possedit is, cujus Beneficium impetratur. Ita Chokier ad hanc regulam n. 43. Et patet Hunnoldus Plettenbergius in Notitia Congregationum in notis ad hanc regulam n. 4. idipsum notat, additq; Ideoq; quoad hoc derogatum est huic regulæ.

XV. Vult insuper regula, quod impetrans "infra sex menses ipsum possessorem ad judiciũ evocari faciat, cautamq; ex tunc de super infra annum usq; ad sententiam diffinitivam inclusivè prosequi debeat & teneatur." At quoad evocationem possessoris ad judiciũ infra sex menses, regula in Francia non servatur, teste Rebuffus Glossa 14. "Et in hoc Regno Francia sufficit (ait) intra annum agere possessorio coram judicibus Regiis.

Quoad alteram partem, scilicet persecutionem causæ intra annum usque ad diffinitivam, notat Rebuffus Glossa 15. quod regula dicat, PROSEQUI debeat, non dicat finire: quia hoc non est in partu potestate semper, sed interdu judicis, & sufficit quod non stet per partem. Deinde subjungit: "Non vidi tamen ob hoc beneficium amitti in Francia, ubi processus sunt longissimi. Solent tamen impetrantes quandoque à Papa protogationem impetrare: quod rarum est in hac patria, cum in hoc non servetur. Quod de Regno Francia hic monet Rebuffus, id & in Belgio servatur; neque in Belgio est ullus hujus Regulæ usus, quatenus processum judicalem concernit, vel formam futuræ instantiæ præfigit.

XVI. Similiter quod Regula statuit, "idem impetrans

de damnis & interesse possessorem prædictum propterea contingentibus ei satisfaciat, & si possessorem ipsum injustè, frivole, & indebitè molestare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere Cameræ Apostolicæ sit adstrictus, "nec in Gallia, nec in Belgio per omnia servatur. Nam Judices Regii cognoscentes de possessorio non solent victum condemnare ad multam; uti etiam observat Rebuffus Glossa 18. ad expensas verò & interesse etiam in Beneficialibus, si à parte petantur, condemnare solent; etiam extra casum hujus Regulæ.

XVII. Quod autem dicit Regula, quod si non sint expressa exprimenda, Impetratio & quacumque inde secunda nullius existant firmitatis, sic intelligi oportet, quod annalis pacificus possessor possit excludere impetrantem ob non expressionem requisitorum, non ratione sua possessionis annalis, sed subreptionis ait Rebuffus Glossa 16. Et uti rectè etiam notat Molinæus n. 103. "Hæc Regula nullo modo fovet Possessorem: quia non impedit illum deturbari per impetrantem à Papa vel Legato servata forma; maneat aliter jus impetrantis corroborat; merito non requirit titulum coloratum, nec aliam qualitatem possessoris.

CAPUT IV.

De Regula Cancellariæ de Triennali Possessore.

1. Regula hæc desumpta est ex Decreto Concilii Basiliensis & posteriores Pontifices eam vix mutarunt.
2. Cur in Regula mentio non fiat Concilii Basiliensis: & quomodo in Gallia recepta.
3. Decretum Concilii prodest ad elucidationem regulæ.
4. Refertur textus Regulæ.
5. Decretum Concilii Basiliensis prout Sanctioni Pragmatica est insertum.
6. Requiritur Regula, nisi & Decretum possessionem triennalem.
7. Triennium debet esse completum.
8. Insuper requiritur continuum.
9. Tempus prædecessoris an prosit successoris.
10. An in eodem tempore possessionis conjugungi queant.
11. Quomodo probetur triennium fuisse continuum.
12. Possessio triennalis debet esse pacifica.
13. Quod juxta Decretum Basiliense exigatur: ut possessio fiat non pacifica.
14. Turbatus ab uno, videtur in spectro tenore Regula turbatus quoad omnes.
15. Secus inspectis verbis Decreti Basiliensis; hincque in Gallia servatur.
16. Videtur sensus Regula hæc in parte erahendus ad sensum Decreti.
17. Quis obienta recedentia per triennium sine molestatione possedit, censetur triennalis pacificus.
18. Requiritur cum pacifica triennali possessione titulus saltem coloratus.
19. Quis dicendus titulus coloratus, clarior in Regula, quam in Decreto exprimitur.
20. Titulus coloratus dupliciter considerari potest.
21. Qui sint tituli non colorati: & cui incumbas probatio circa titulum.
22. Debet uno triennio ad fuisse titulus coloratus.
23. Quare potius hæc regula requirit titulum coloratum quam regula De Annali? (standus non est.)
24. Post pacificam triennalem possessionem Possessor molestus.
25. Fallit si agere impeditus fueris: & quomodo de hoc impedimento protestandum.

26. An inter legitima impedimenta referenda minoras.  
 27. An Resignarius Possessor triennalis pacificè possit molestari?  
 28. Si post triennium molestetur pacificus Possessor quomodo agendum.  
 29. Hoc intelligendum de molestatione privatorum.  
 30. Nec Regula, nec Decretum Basiliense vult, Beneficia sine titulo, etiam post triennalem possessionem, retineri.  
 31. Triennalis possessio non impedit, aliquem posse Beneficio sic possessore privari.

**R**egulam hanc habuisse originem à Decreto quodam Concilii Basilienfis notant omnes passim Commentatores; monetq; Gomelius in præfatione ad hanc Regulam, ex hoc Concilio Basilienfis Decreto, eam ferè ad verbum transcriptam, paucis omissis, additis vel immutatis.

Insuper observat Gomelius ibidem, eam à posterioribus Pontificibus vix fuisse mutatam; nisi quod Adrianus VI. pauca quadam, ad extinguendas motas quæstiones, addiderit, quæ ibi designat Gomelius.

II. Quamvis autem ex Dicto Decreto Regula sit desumpta, nulla tamen illius in regula mentio occurrit: quia Summi Pontifices auctoritate illius uti noluerunt, ne sicuti (Concilium Basiliense) approbare viderentur, ait Gomelius.

Econtra in Gallia, hæc regula non est recepta tamquam Regula Cancellariæ Romanæ, sed tamquam Decretum Concilii Basilienfis, insertum Sanctioni Pragmaticæ, & confirmatum per Concordata inter Leonem X. & Franciscum Luti monet Guilielmus Noyerius in notis ad præxim Curiam Romanæ Perardi Gattelli pag. 38. edit. 1693.

III. Interim cum Decretum Basiliense originem huic regulæ dederit, non dubium quin ad elucidationem regulæ non parum Decretum illud conferre queat, atq; supplere ea quæ forsan in regula desiderari, vel dubia esse possent.

IV. Regula hodie 36. exprimitur his verbis: "Item statuit, & ordinavit idem D. N. quod si quis quæcumq; Beneficia Ecclesiastica, qualiacumq; sint, absq; simoniacò ingressu ex quovis titulo, Apostolicè vel ordinariè collatione aut electione, & electionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione & institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio & præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possiderit dummodo in Beneficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolicæ ex reservatione generali in corpore Juris clausa, reservata fuerint, (se non intruserint) super eisdem Beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes quaslibet, de Beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas & inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitus extinguendo.

V. Decretum Concilii Basilienfis prout insertum est Pragmaticæ Sanctioni, diciturq; Decretum De Pacificis Possessoribus, & è quo regula desumpta est, hoc tenore expressum est: "Quicumq; non violentus, sed habens coloratum titulum, pacificè & sine lite prælaturam, dignitatem beneficium, vel officium triennio proximo hæcenus possidet, vel in futurum possidebit, non possit postea in petitorio vel possessorio à quoquam etiam ratione juris noviter impetrati, molestari, excepto honestitatis casu, vel alterius legitimi impedimenti, de quo protektari, & juxta Concilium Viennense illud intimare teneatur. Lis autem hoc casu quoad futuras controversias intelligatur, si ad executionem citationis, jurisq; sui in iudicio exhibitionem, ac terminorum omnium observationem, processum fuerit. Ordinarii autem diligenter inquirant, ne quis sine titulo beneficium possi-

deat. Quod si talem quando cumq; repererint, declarent jus illi non competere, vel huic (si sibi videatur) nisi sit intrusus, seu violentus, aut aliàs indignus, vel alteri idoneo provideant.

VI. Sive verba regulæ, sive Decreti attendantur, manifestum est, intentionem auctorum sive conditorum fuisse, ut pacificè triennales Beneficiorum possessores haud facile vexentur aut molestentur; sed pro veris & Canonicis Beneficiorum Possessoribus reputentur, nisi se in Beneficia vel intruserint, vel per Simoniam intraverint: ipsiq; titulus saltem coloratum cum pacifica triennali possessione concurrere pro vero titulo habeatur.

VII. Imprimis ergo requiritur, tam ex regula, quam Decreto, ut quis possiderit Beneficiū triennio proximo, ut habet Decretum; vel ut exprimitur in Regula, per triennium possiderit, id est, completum & consummatum, ut loquitur Glossa Pragmatica pag. 422. editionis Parisiensis an. 1666. ubi & notat ex Joanne Andræa, aliisque, "quod ubi, quæ lex tempus certum requirit, quod intelligatur completum & de momento ad momentum, nisi aliud lex declaret, vel simus in favorabilibus.

VIII. Nec tantum completum, sed & continuum triennium possessionis exigitur, nam præposito per denotat omnimodam continuationem. Et continuum triennium requiri asserit Rebuffus in Tractatu De Pacificis Possessoribus num. 320.

IX. Hinc inferit n. 311. quod tempus prædecessoris non possit hic jvare successoribus; sed quod tempora possessionis conjungi nequeant; nec enim continuum efficitur: quia sicut in bonis Ecclesiæ non succeditur jure hæreditario; ita nec in titulo Beneficii, qui debet haberi à superiore, succedatur, ait Rebuffus. Aliud est in profanis, in quibus jus seu titulus potest in successoribus transferri & ita tempora possessionis conjungi & continuari & ita decisum fuisse in Rota Romana testatur Gomelius ad hanc Regulam quæstion. 20. Quin & credit Rebuffus numer. 324. quod tempora non conjungerentur, licet successor esset surrogatus in jus possessionem alterius.

X. Imò si quis post biennalem possessionem resignasset Beneficiū, postmodum autem cognita invaliditate resignationis reversus ad Beneficiū, possiderit per annum, inspecta stricta juris ratione, ob interruptam possessionem, hæc regulâ jvari non poterit, ait ibidem Rebuffus; licet contraria opinio æqua ei videatur. Et quia uti notat n. 328. non est prohibita accessio temporis in us, no & eodem, etiam in Beneficialibus, licet in diversis secus.

XI. Ad probandum tamen triennalem possessionem fuisse continuam sufficit probare extrema, id est, principium primæ anni & finem tertiæ; quia possessio præsumitur continuata; ait Probus in additione 8. ad Glossam Pragmaticam pag. 419. nisi probet actor possessionem fuisse interruptam.

XII. Non sufficit per triennium completum & continuum possidisse, sed insuper requiritur, ut pacificè possiderit; id est, sine lite & controversiâ, sive in possessorio, sive in petitorio; quemadmodum capite præcedenti exposuimus fuit.

XIII. Lis autem hoc casu quoad futuras controversias, as intelligatur, ait Decretum Basiliense si ad executionem citationis jurisque sui in iudicio exhibitionem, ac terminorum omnium observationem processum fuerit.

Ad hæc verba notat Glossa Pragmatica pag. 434. Ut dicatur Beneficiū litigiosum tria requirantur. Primum, quod emanaverit citatio executata. Secundò quod titulus agentis fuerit in iudicio competenti parti adversus, exhibitus. Tertio quod omnes dilationes ordinariæ juris vel styli, quæ dantur ad litem contestandam, sine lapsæ ante triennium.

Notat tamen ibidem Probus n. 3. Si non sint lapsæ dilationes, quia per partem adversam fecit, ut quia suo dolo, aut malitia, vel cavillationibus, aut subterfugiis, fecit quod non fuit lapsæ, quod regulis vulgatis est firmatum: aliàs effectus in potestate adversarii, quod præscriptio triennalis non interrupteretur.

Vide etiam Zypæum de Resp. 3. Præbendis n. 4. ubi scribit, per illa allegata verba aliud non velle Concilium, quam contestationem, aut aliam diligentiam, quæ fieri potuerit ex circumstantiis & iudicis arbitrio.

XIV. Quærit Gomelius qu. 22. utrum interruptio pacificæ triennalis possessionis, facta ad citationem unius proliis alius; resolutiq; affirmativè; & ita tenere Rotam Romanam asserit.

Sed quid si quis ante completum triennium litigaverit contra unum, an post triennalem possessionem possit etiam molestari ab alio, qui intra triennium non molestavit, adeoq; respectu unius fuit in pacifica possessione? Inspecto tenore regulæ, apparet, quod nequidem adversus hunc tertium poterit hujusmodi triennalis possessor se tueri: quia regula requirit, ut per triennium pacificè possiderit; dicitque Gomelius quæst. 22. quod invaluerit ista opinio in Rota, quod beneficium semel litigiosum cum uno, efficiatur litigiosum, seu verius; non pacificum quoad omnes alios. Rationem allegat Gomelius: "Quia sicuti in præscriptioe civili requiritur bona fides tamquam unum substantiale, ita in hac triennali requiritur Regula pacificam possessionem pro forma substantiali. Quo statò, ubi aliquis citat pacificum possessorem, non poterit ab aliis molestari: quia fuit pacificus quoad alios. Et quia textus Decreti dicit quem non posse venire post triennium nisi alleget impedimentum, & protestetur intra triennium; ergo vult (ait Rebuffus) ut pacificè possideat adversus illum qui non est protestatus; qui non fuit impeditus agere, si non moveat litem, non poterit postea agere, & ita est Praxis indubitata Regni, juri & rationi conformis." Ita Rebuffus n. 200. & rursus n. 363. ita sepius iudicatum.

XV. At Rebuffus magis attendens præxim Galliar, & Decretum Pragmaticæ Sanctionis sive Concilii Basilienfis, dicit, quod licet quis litigaret adversus unum per triennium, & adversus alios non, quod post triennium non poterit ab aliis molestari: quia fuit pacificus quoad alios. Et quia textus Decreti dicit quem non posse venire post triennium nisi alleget impedimentum, & protestetur intra triennium; ergo vult (ait Rebuffus) ut pacificè possideat adversus illum qui non est protestatus; qui non fuit impeditus agere, si non moveat litem, non poterit postea agere, & ita est Praxis indubitata Regni, juri & rationi conformis." Ita Rebuffus n. 200. & rursus n. 363. ita sepius iudicatum.

XVI. Cum Regula ex Decreto fuerit desumpta, atque tam Decretum, quam Regula ad lites super beneficiis, per quas cultus divinus, & Ecclesiarum cura negligitur, aliæque innumera incommoda oriri solent, minuendas & amputandas sint composita, non apparet, cur non eundem sensum ipsi Regula dare liceat; quæcumq; pacificè possidere non censeamus respectu illius, qui per triennium tacuit: cum Regula contrarium expressè non dicat. Vide Zypæum Resp. 3. De Præbendis n. 7.

XVII. Insuper refert Rebuffus, non semel per arrestum Parlamenti iudicatum, quod si adjudicata recedentia adversarius taceat per triennium, & permittat possidere partem adversam, non poterit Possessor post triennium, etiam à parte adversa molestari super possessione.

XVIII. Præter triennalem pacificam possessionem requirit Decretum Concilii Basilienfis, ut possessor sit non violentus, sed habens coloratum titulum; vel ut exprimit Regula, beneficium sine Simoniacò ingressu, ex quo vis titulo Apostolico vel ordinariè collatione & electionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione & institutione illorum ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, & provisio, electio & præsentatio seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possiderit.

Notat Gomelius qu. 26. quod licet Regula non exprimat an verum, an coloratum de matrat titulum requirat, satis tamen apparet requirere solum coloratum, ex Decreto Concilii Basilienfis à quo secunda communitatem opinionem habuit originem ista Regula; in quo Concilio expressè dicitur, quod sufficit quod Possessor triennalis habeat titulum coloratum. Imò Regula ita indistinctè loquens debet capere interpretationem à matrice & à fonte.

XIX. Sicuti ipsa Regula interpretationem aliquam accipere potest à Decreto tamquam matrice & fonte; ita in nonnullis Decretis à Regula explanationem accipit ac signanter, ut intelligatur, quis coloratum titulum habere dicendus sit: quod clarioribus terminis Regula expressè; quemadmodum notavit Rebuffus: qui inquirens quis dicendus titulus coloratus ait n. 43. "Et brevi dicendum est coloratum dici titulum, dum tamen quis ex Apostolica vel ordinariè collatione, aut electione, aut electionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione & institutione illorum ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, & provisio, electio & præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, obtineat, ut declaratur in regula 33. Cancell. licet ob aliquod vitium titulus non dicatur iustus.

XX. Ulterius pro intellectu regulæ quoad titulum coloratum monet Gomelius qu. 27. advertendum diligenter dupliciter posse considerari titulum coloratum. Primo modo, quoad effectum istius regulæ. Secundo modo, quoad effectus juris communis. Quoad effectum istius regulæ, pone istam conclusionem pro firmam: quod omnis ille dicitur habere titulum coloratum, qui non excluditur in regula.

XXI. Idem tradit Chokier ad hanc Regulam n. 85. ex quo dein inferit: "Ideoque illi soli discoloratum titulum ad effectum hujus regulæ habere dicuntur, qui habent titulum per Simoniam, vel de beneficio reservato reservatione in Corpore Juris clausa: quia isti duo casus excepti Regula firmant regulam in contrarium in casibus non exceptis." Et conformiter iudicatum refert Antonius Faber in Codice lib. 1. tit. 2. Desinit. 5. Et plura de titulo colorato vide apud Glossographum Sanctionis Pragmaticæ pag. 415. ubi & pag. 417. ostendit quod qui qui dicit, aliquem possidisse sine titulo colorato, debeat illud probare; cum nemo teneatur probare titulum suæ possessionis: & ideo pars agens non audeat, nisi contra Possessorem aliquid probet, per quod prius appareat, ipsum non habere titulum coloratum. Sed ad instantiam iudicis bene teneatur Possessor colorem tituli probare: quia in his exuberat officium iudicis.

XXII. Ostendit præterea ibidem, non sufficere, quod titulus coloratus superveniat post unius alteriusve anni possessionem; sed requiri ab initio titulum coloratum; si ve quod integro triennio pacificè possiderit beneficium cum titulo colorato. Unde (ait) præscriptio triennalis incipiet currere ab eo tempore, quo habuit titulum coloratum.

XXIII. Quare hæc regula De Triennali potius requirat titulum saltem coloratum, quam regula De Annali (de qua capite præcedenti actum fuit) rationem allegat Antonius Faber in Codice lib. 1. tit. 2. Desinit. 15. "Quoniam illa triennalis tribuit jus in beneficio, hæc (De Annali) non item; sed excludit dumtaxat impetrantem ob non expressas qualitates, neque tam in favorem Possessoris inducta est, quam in odium male impetrantis.

XXIV. Effectus ergo pacificæ possessionis triennalis cum titulo colorato est, quod super eodè beneficio taliter possessio molestari nequeat, ut loquitur Regula. Decretum vero ait: "Non possit postea in petitorio vel possessorio à quoquam, etiã ratione juris noviter impetrati, molestari.

Ultima hæc verba, ratione juris noviter impetrati, videntur